





DISPUTATIO

23

INAUGURALIS,  
DE GRAVISSIMO INTESTINORUM  
AFFECTU

DYSENTERIA,

QUAM  
PRO SUMMO IN ARTE MEDICA  
GRADU OBTINENDO

D. T. O. M.

ADJUVANTE,  
P R Æ S I D E  
CLARISS. ET EXCELLENTISS. V.  
DN.

FRANCISCO  
OMICHIO,

MED. D. ET IN ILLUSTRIS MARCHIONUM  
BRANDENBURGENS. ACADEMIA P. P. EJUSDEMQUE  
FACULTATIS PRO-TEMPORE

DECANO,

PUBLICE PRO VIRILI DEFENDENDAM  
SUSCIPLET

M. JUSTUS GRISIUS GVALTERS-  
HUSINUS, TURINGUS,

AD DIEM XVI DECEMBRIS  
HORIS CONSUETIS,

IN MAGNO PHILOSOPHORUM  
ACROATERIO.

---

TYPIS HARTMANNIANIS.

M. DC. XIX.

52

DIZPWTATIO  
DE GRASSIMO INTESTINORUM  
DYSENTERIA

PROFUMMOVARTE MEDICA  
D. T. O. M.

ADIVANT  
P R E S I D E  
CLARUS ET EXCELLENSS N.  
DN.

F R A N C I S C O  
OMICHO

MED. D. T. IN ILLUSTRIAMAR CHIONUM  
BRANDENBURGIA ACADEMIA P. S. F. I. N. D. M. G. N. E.  
FACULTATIS THEO-THEORIE  
DECANO

PRAECI PRO VIRI D. T. M. G. N. E.  
M. JUSTUS GRISIUS GVALTERS  
HUSINGSTRINGUS  
W. D. D. A. W. Y. N. D. C. E. M. A. R. I. S.  
HONIS CONSILII  
IMMAGINO PULSOPHONUM  
A. R. O. A. T. E. R. I. O.

TITULUS  
M. G. N. E.

# THESIS I.



Uemadmodū in ædificio præclaro, is quæ rûdam partium est genius, ut licet in speciẽ non admodum sint pulchræ; eæ tamen, si vel absint, vel corrumpantur, totam habitatio- nem ineptam incommodamq; reddant: eo- dem se modo intestina habere videntur.

II. Illa etsi non sunt in ea dignitate, in quâ cerebrum, cor & jecur posuerunt Anatomici: nihilominus tanta eorum est necessitas, ut corruptis ijs vel destructis, super- esse homo nequaquam possit.

III. In hæc autem, cum velut in canalem communem omnis generis sordes fœcesq; exoneret corpus sive fabrica nostra: fie- ri non potest, quin variis multisq; obnoxia sint affectibus.

IV. Ijs igitur vel periculosissimis adnumeratur etiam Exulce- ratio fluxum alvi cruentum excitans, quem Dysenteriam vo- cant Medicorum filij: quâ de nunc potissimum nobis differen- dum duximus, & quod curatu sit difficilis admodum, & quod locis in pluribus grassata jam sit, atq; etiam nunc malitiam su- am exerceat.

V. Exordimur ἀπὸ τῆς ἐτυμολογίας. Nam quamvis de vocabulis non admodum digladiari jubeat Galenus, quum de re constet; & Nomenclatura neminem servarit unquam (*Forest. l. 10. Schol. observ. 53.*) præstare tamen videtur nominum rationem expo- nere, vocesq; ab homonymijs, si quæ adsunt, liberare antè, quâ in rei arcem descendamus: ne vocabulorum ambiguitate cir- cumventi, à janua, quod dicitur, aberremus.

VI. Deductum itaq; Dysenteria nomen ab intestinis est, quæ ἐν τῷ ἔσωθεν Græcis sive ἐνδία, quod in ima corporis sede sint quasi re- condita, nuncupantur. δὲς autem in compositione idem est ac difficulter, & ægrè: Huc forsitan respexit *Cel. Aurelianus*, quando

A 2

hunc

hunc affectum, intestinorum difficultatem *lib. 4. c. 6: Celsus*, dum torminal. *4. c. 15*, nominant. alibi eidem Aureliano, intestinorum rheumatismus indigetatur.

VII. Duplex ejus apud Auctores est acceptio. *Improprie c. 1.* sumitur pro alvi fluxu cruento ulceris & doloris experte, cujus *Galenus 3. d. caus. Sympt. c. 2.* tres constituit species: quarum *prima* est Hepatica, quam jecoris *ἀτονία* gignit, in qua sanguis excernitur aquosus, dilutus, crudus, loturæ carniū recens maceratarum, non absimilis. *Secunda καὶ ἐξοχλῶ αιματώδης* vel *αιματηρή* dicitur, & ab hepatis *εὐτονία* proficiscitur, in qua sanguis sincerus & purus, *λαυρῶς καὶ ἰχυρῶς*, uti Hippo. nominat, per intestina excernitur: hæc periodica & salutaris existit, familiaris illis, qui carent hæmorrhagiæ commodis, vel quibus membrum aliquod magnum amputatum est. *Tertia* similiter à Galeno *αιματώδης* appellatur; fit cum sanguis per venas mesaraicas ad intestina eurrit, & niger ac splendens excernitur.

VIII. *2. Proprie* autem illam cruentam denotat excretionem, quæ ab intestinorum producitur ulceribus, morbiq; naturam induit, de qua tanquam verâ & legitimâ Dyfenteriâ, nunc potiss. agemus.

IX. Hanc igitur *definimus*, exulcerationem intestinorum, ab acri & erodente materia productam, conjunctamq; cum excretis purulentis, cruentis ac ramentosis, magnisq; ventris torsionibus.

X. *Genus* statuimus intestinorum exulcerationem, morbum scilicet in unitatis solutione; *subjectum* intestina, tam gracilia, quam crassa: quæ inter si Rectum hoc malo obsidetur, Tenesmi nomen vitium sortitur, propterea quod perpetuus egerendi conatus inducatur, *Gal. comm. aph. 27. l. 7.*

XI. *Oritur* autem Dyfenteria à causis vel externis vel internis, quemadmodum & reliqui morbi: Ita n. inquit Hipp. *l. 1. de morb. omnium causarum ducuntur principia ἢ ἀπὸ τῶν ἐκθόντων, ἢ ἀπὸ τῶν ἐξωθεν* id est, intus aut extrinsecus. Inter

XII. Inter *externas* causas obtinent principatum *Aër & Virus*, secundum Hipp. 2. de morb. αἱ ἢ νόσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαίτημάτων, αἱ ἢ ἀπὸ πνεύματός, ὁ εισαγόμενος ζῆ μὲν.

XIII. 1. Peccat autē aer vel qualitate manifestā, vel occultā.

XIV. *Manifestā* quidem, quatenus à naturali temperie desciscit, & in eam vertitur, quæ est præter naturam. Sic hiems sicca & Aquilonia, quàm ver insequitur pluviosum & Austrinum, Dysenteriam æstate procreat. Hipp. 3. aph. 11. Idem præstat hiems pluviosa & Austrina, ver verò siccum & Aquilonium. *ibid.* aph. 12. Pluviarum item per totum annum perpetuitas: *ibid.* aph. 16.

XV. *Occultā* qualitate peccat, quando malignitatis femina nobis inimica, corporibus imprimit, vimque maleficam in ea, quæ ad hominum usum tellus producit, destillat: & propter hanc causam Dysenteria est pestilentialis, maligna, vel leviter tantum contagiosa.

XVI. 2. *Alimenta*, quæcunq; sunt calida & aëria: qualia sunt carnes salitæ, præpingues, vetustæ, pisces sale conditi: cœpæ, alia: & quæ citò corrumpuntur, ut sunt fructus horarij, cerasæ dulcia, pruna, persica, & omnis generis poma præcocia: vina vinosa, in lagenis itidem cupreis asservata, quale exemplum habet *Hildan. d. Dysent. c. 3.* vinum fructuarium ex pyris & pomis confectum, cerevisia dulcis & recens, nec satis cocta: potus aquæ frigidæ, per plumbeas fistulas currentis, aquæ item palustris, & alia id genus.

XVII. 3. *Medicamenta* vehementiora: colocynthis, scammonium, stibium crudum &c. vel non præparata, vel majori dosi temerariè propinata.

XVIII. 4. *Venena*: ut sunt cantharides, arsenicum, sandarachæ, mercurius sublimatus, & ejus farinæ alia.

XIX. 5. His annumeranda & *Retenta*: Humores enim diutius

justo, in corpore moram trahentes, acrimoniam quandam acquirunt, unde intestinis post adhærentes, eadem facile corrodere possunt: quò spectat etiam evacuationum consuetarum intermissio.

**XX.** *Internæ* verò sunt humores acres, mordaces, & corro dentes, ijque vel biliosi, vel pituitosi vel atrabilarij.

**XXI.** Quamquam autem humores, qui Dysenteriam pariunt omnes oportet esse calidos, sive per propriam naturam, sive per putredinem, effervescentiam acquisierint: sciendum tamen est, requiri præterea ad inducendum hoc malum, lentorem quendam ac tenacitatem, quâ absente, humores illi acres vix ac ne vix quidem tam diu in intestinis durare queunt, ut exulcerationem illis inferant *Mercat. Hollerius, Hildanus.*

**XXII.** *Dividimus* autem Dysenteriam propriè sic dictam, cum Galeno *6. d. l. aff. c. 2.* in tres gradus: quorum *primus* est, in quo mucus sive pinguedo intestinorum tunicis adhærens, abradi tur: Hipp. dicuntur τὰ σώματα πιμελώδη: eundem etiam gradum denotat, cum dicit excerni σμικρά τε ἔοντα, καὶ γλιχρά καὶ λευκά, καὶ ὑπόχλωρα, καὶ λεῖα, id est, pauca simul & glutinosa, & alba, & sub flava & levia vel æqualia, *Hipp. in Coac. prænot.*

**XXIII.** *Secundus*, in quo præter jam dicta excreta, etiam tunica exeditur, cujus ramenta quædam cum cruore purulento & dolore exquisitiore dejiciuntur: *Tertius*, in quo ulcus ad ipsam intestinorum substantiam proserpit, unde & frustula carnosæ, putrida, ac sanguine multo aspersa, excernuntur.

**XXIV.** Porro, pro ratione intestinorum, quæ obsedit, modò enim tenuia, modo crassa, modo separata, modo omnia conjuncta infestat; aliæ ab aliis afferuntur divisiones: nos minutis istis dimissis, ad *signa* descendemus.

**XXV.** Sunt autem illa vel *Diagnostica* vel *Prognostica*.

Diagno.



*XXVI.* *Diagnosticorum* alia aperiunt morbi speciem & gradus: alia locum affectum: alia causas: alia veram Dysenteriam à reliquis fluxibus discernunt.

*XXVII.* 1. *Morbi speciem* gradusve ostendunt illa, quæ habentur in thesi 22. & 23.

*XXVIII.* 2. *Locum affectum* indicantia signa desumuntur, 1. Ex qualitate doloris, Symptomatumque aliorum: 2. Ex natura & specie Excrementorum: 3. Ex modo dejiciendi.

*XXIX.* Si laborant intestina *tenuia*, dolores sunt vehementiores, perpetuò ferè adest febris, sitis, magna nausea, vomitus, delirium: dejiciuntur ramenta tenuia & exilia: sanguis vel quicquid ex intestinis detruditur, exactius cum cæteris excrementis permiscetur: majus inter dejectionem & dolorem est intervallum.

*XXX.* Si verò in *crassis* stabulatur malum, dolores sunt remissiores: Symptomata illa vel absunt, vel adfunt mitiora: ramenta crassiora: pauca vel nullæ ulcerum sordes excrementis circumfusæ: minus inter dolorem & dejectionem spacium.

*XXXI.* 3. *Causarum* signa excretionum colores manifestant. Etenim si illæ subflavæ, citrinæque fuerint à bile; si aquosæ, virulentæ & albidiores, à pituita; si nigriores, terramque fermentent, à melancholia Dysenteria traxit ortum.

*XXXII.* 4. *Discernitur* tandem vera Dysenteria à reliquis speciebus sic: In *his* 1. non ejicitur sanguis multus, neque confertim, sed paullatim & crebro. *Gal. 3. de Sympt. caus.* 2. Sanguini innatant ramenta & carunculæ intestinorum: 3. adfunt cruciatus & tormina instantibus dejectionibus exquisita, vexatque perpetuum egerendi desiderium: quæ omnia à cæteris exulant fluxionibus.

*XXXIII.* *Prognostica* docent 1. ægri conditio: 2. locus affectus: 3. causæ: 4. Excreta: 5. Symptomata.

Si Æger

**XXXIV.** 1. *Æger* consideratur 1. à *sexu*: sic mulieres quàm viri, & inter illas gravidæ potiùs, quàm uterò non gerentes à *Dysenteria* læduntur 7. *apb.* 28. Ab *etate*: Senibus puerisque tenerioribus, quàm juvenibus hoc malum infestius. 3. A *temperamento*: humida mollioraq; corpora malo illi magis obnoxia: 4. A *robore* seu morbis præcedentibus: si sequitur ad alium morbum, qui vires naturæ antea plurimum defatigavit, evadit periculosior.

**XXXV.** 2. *Locus affectus*: si crassa ulcus intestina depascit, major evadendi spes: minor si tenuia. Illa enim densiores habent tunicas carnosioresq; ; hæc verò graciliores & nervosas: & vicina admodum sunt partibus nobilioribus, quæ sic facilimè affici possunt. hinc si jejunum exulceratum fuerit, morbum propter jecoris vicinitatem incurabilem esse *Gal.* 6. *Metb.* 4. adserit. & *Hipp.* 6. *apb.* 18.

**XXXVI.** 3. *Causa*: à bile flava quæ oritur *Dysenteria*, levior est: Diffluit enim facilè ob tenuitatem suam, neque mordicus adeò tunicis intestinorum impingitur. Illa verò, quæ à pituità falsâ proficiscitur, gravior est; lentore quippe & visciditate sua arctius se adglutinat, ulceraq; fabricat. Pessima verò & insana-bilis, quæ ab atra bile provenit; siquidem quod inde nascitur ulcus, 4. *apb.* 24. *cancri* naturam imitatur: quem in abditis occultisq; præsertim membris rarissimè posse sanari, quis est qui nesciat?

**XXXVII.** 4. *Excreta*: de his sequentes extant apud *Hipp.* *Aphorismi*: difficultatem intestinorum habenti, si veluti carunculae exeant, periculosum est 4. *apb.* 26. Nam neq; carne impleri neq; ad cicatricem perducì possunt. *Hipp.* *l. d. ult.* Effusio puri sanguinis in *Dysenteria* malum. 7. *apb.* 23. in alvi profluviiis mutationes excrementorum juvant, nisi ad mala fiat mutatio 2. *apb.* 4. *Æger* morbo extenuatus & debilitatus, excrementa atrabiliaria, aut nigri sanguinis instar excernens, postridie moritur. 4. *apb.* 23.

5. *Sym*

*XXXVIII.* *Symptomata* exitum morbi malum indicantia sunt, febris initio adveniens, cibi fastidium, nausea, vigilia, sitis immoderata; singultus etiam ex nimia evacuatione & inanitione lethalis censetur. *5. apb. 3. & 4.* sudor frigidus & extremitatum frigiditas mortem imminere significant. Hæc autem si absint exitus morbi expectandus felicior.

*XXXIX.* Declaratâ naturâ morbi, reliquum est, ut ad *curacionem* progrediamur, in quâ eruendæ nobis veniunt Indicationes, quæ Medici operationem ad certos scopos dirigant.

*XL.* Quum itaque Dysenteria ulcus sit intestinorum, quod dependet à sua causa, & variis stipatur symptomatibus; ejusq; sanatio in moderatâ siccitate consistat; exsiccatio verò tentari nequeat, novâ subinde materiâ exulcerationis subministratâ: constat, huic imprimis causæ prospiciendum, & deinde oculos ad reliqua, ulcera sc. & Symptomata, convertendos esse.

*XLI.* Ex his liquet, tres maximè curationis scopos repullulare; quorum *primus* versatur circa causæ remotionem; *secundus*, circa morbi ablationem; *tertius* verò & *ultimus*, circa Symptomatum, quæ hunc morbum plerumq; comitari solent, correctionem.

*XLII.* Satisfaciunt autem scopis istis tria Instrumenta Medicis usitata, *Dieta* scilicet, *Pharmacia*, & *Cbeirurgia*.

*XLIII.* 1. *Dietam* quod attinet 1. *Aër*, prout morbi conditio requirit, sive ex frigidiore, sive calidiorè, ad temperiem ægro curando idoneam revocandus: vitetur autem imprimis Austrius, qui valdè noxius.

*XLIV.* 2. *Victus* imperetur talis, qualem causæ diversitas postulare videtur; sit autem *ἰσπιπτικὸν καὶ συχρῦον*, facultatem habens astringendi & agglutinandi.

*XLV.* Profunt itaque valdè ptisana hordeacea, & pulmenta ex amylo, farre, oryza, milio, amygdalis, lacte chalybeato, vel à  
B quâ

quâ pluviali incocta, præsertim quando glutinare & ad cicatricem ulcera perducere volumus.

**XLVI.** Panis sit optimè fermentatus & benè coctus: conveniunt carnes perdicum, gallinarum antiquarum, hædinæ, pedes vitulini, pisces saxatiles, quibus immiscendi pulveres radicum Bistortæ, Tormentillæ, Eryngii marini: conducunt etiam quæcunq; astringunt, mespila, cydonia, sorba, corna, cerasa acida, ribes: quæ & cocta & condita sumi possunt. Si autem vires nimium sint prostratæ, ex usu sunt Gelatinæ ex carnibus caponum, perdicum, pedibus vitulinis, non vulgato, sed chymico artificio paratæ, & singulis quatuor aut tribus horis exhibitæ, quarum usus, illicò vires restauratum ibit.

**XLVII.** Aquas autem carniū vulgari modò destillatas, tanquam inutiles meritò rejicimus, licet ad illarum usum, tanquam ad sacram anchoram quidam confugiant: nihil enim virtutis in rudi illa præparatione, sed nudum tantummodò phlegma extrahitur; siquidem gluten illud alimentosum, in quo recondita manet omnis nutriendi vis, alembicum non transcendit: in vanum itaque laborant potius, quàm ut momenti aliquid conferant ad sanitatem ægroto comparandam.

**XLVIII.** Potus sit aqua hordei, vel aqua chalybeata, vel decoctum plantaginis: lac quoq; coctum, & silice ignito alteratum in postremis haud ponit *Galenus 3, d. alimen. facul.* convenit etiam vinum rubellum moderatè astringens, si febris absit, dilutum aquâ chalybeata, vel auro ignito temperatum, vel commixtum succo berberum, aut aliquot guttulis spiritus vitrioli vel sulphuris: ejusmodi enim, ulcera extergunt, putredinem prohibent, partes astringunt atq; roborant. Commendatur à multis aqua pluvialis, cui aliquid vel de succo granatorum, aut mixturâ cydoniorum fuerit admistum: sit fuga cerevisiæ recentis & crassæ: deligatur verò probè cocta & defæcata,

in

in quam, rectè facies, si laminam panis tosti pulvere nucis moschatae aspersam injeceris.

**XLIX.** Si autem tanta sit ventriculi debilitas, ut cibum assumptum conficere nequeat, vicariam præstant operam clysteres nutrientes, qui in hoc casu feliciter usurpari possunt.

**L.** Prohibeatur corporis *3. exercitatio*, ut quæ causam non solum præsentem auget, verum majorem quoq; fluxum & erosionem excitat, & ad intestina ablegat: ad quietem verò modis se omnibus æger componat.

**LI.** *4. Somnus*, quomodocunq; fieri potest, invitetur, siquidem magnam vim habet quamlibet alvi fluxionem cohibendi; quemadmodum vigiliæ eandem augendi & exacerbandi. Commendatur hic à nonnullis emulsio *4. sem. frig. major. cum aqua plantag. præparat. quæ & alios simul scopos tangit.*

**LII.** Ne autem humores, qui alioquin quiescere poterant, commoveantur & ad motum impellantur, *5. animi perturbationes*, quarum fieri potest, ira præcipuè, cessent omnes.

**LIII.** *II. Diætam* hoc modo ordinatam, insequatur *Pharmacia*. Locum hic habent primum lenientia & detergentia: urgente autem materiæ copiâ, effervescentiâ, aut acredine; in subsidium veniunt purgantia, de hinc extergentia, tandemque consolidantia.

**LIV.** Lenientium & detergentium facilis est apparatus: de evacuandis ergò fusius agendum. Subducitur autem materia per *vomitum, urinas, sudorem, & alvum.*

**LV.** *Vomitum* proritamus lenioribus medicamentis, ut aquâ pluviali, cui mellis aliqua & olei communis quantitas sit immixta: si fortiori opus, Raphani radice succus adjiciendus: præstat tamen uti vomitorio Angeli Salæ in Hemetologia descripto, cujus mirificam virtutem satis superq; deprædicat: cingendus autem vomitus in assuetis & qui eum facillè ferunt, ma-

teriâ malignâ leni medicamento ex parte prius educâ, ne ad ventriculum eadem regurgitet: aliâs magnam præstat utilitatem ad fluxum sistendum, teste *Hipp. 6. apb. 15.*

*LVI.* Subducendi quoq; vim non parvam habent *diuretica*, quibus utimur, ubi ingeus excrementorum copia non amplius adest, sint autem illa ex temperatis concinnata.

*LVII.* *Diaphoreticorum* etiam usus proficiuus, præsertim in Dysenteria epidemia, & si vehementi, cum impetu materia ad intestina ruat: tunc enim largiter sudor proliciendus, medicamentis intus aut exterius adhibitis. Præter vulgata autem merito hîc laudatur Bezoarticum minerale solare, Antimonium Diaphoreticum, spiritus Guajaci exterius illitus egregie sudores movens.

*LVIII.* Inter illa, quæ *alvum subducunt*, primas tenent Rhabarbarum, Thamarindi, Agaricus, Myrobalanorum species omnes, Epithymus, Mechoacana, & id genus alia, quæ singula ad suos, qui peccant, humores, ex arte accommodanda.

*LIX.* Notandum autem, ut Catharticiis his, licet nulla ferè in iis acrimonia & mordendi vis deprehendatur, semper tamen admisceantur, quæ vim habent roborandi, & confirmandi intestina: repetenda autem sæpius, donec totalis humorum peccantium fit evacuatio.

*LX.* *III.* *Cheirurgia* locus esse potest in initio mali, si vires constent, plethora & febris adsint, reliquaque indicantia conspirent: perficitur autem vel *vena sectione* vel *cucurbitulis*.

*LXI.* Extirpatâ sic causâ, ad ipsum *morbum* sive ulcus accedendum: illud autem primo abstergendum & mundificandum: deinde exsiccandum & consolidandum est.

*LXII.* *Abstergunt & mundificant*, hordei integri decoctum, brodium cicerum rubeorum, aqua mulsa; hæc assumenda per os, quando gracilia intestina labem sentiunt.

Crassa.

**LXIII.** Crassa verò quando afficiuntur, clysteres principem locum obtinent, qui sint lenientes, abstergentes, anodynii, laxativi, consolidantes, &c. quorum exempla ex practicis facile peti possunt. Notandum tamen circa usum, ut, si Medici intentio est, abluere & detergere, major sit illorum quantitas, quo intestina impleri & abluere, illosque statim reddere possint: si autem fluxum inhibere animus est, ulceraque consolidare, minori quantitate infundantur, quo diutius in intestinis retenti, feliciter officium suum consequantur.

**LXIV.** *Exsiccandi autem & consolidandi vim præcipuam habent inter simplicia, nux moschata: hæc enim non solum astringit, sed Avicennâ teste, ipsâque experientiâ comprobante, hepar, splenem, stomachum, ac præcipuè os ejus confortat, flatusque discutit. Lapidis Bezoartici usum, commendat Hildan. 4. cent. observ. Plantaginem laudat Dioscorides l. 2. c. 153. Sic & Lysimachium lib. 4. c. 3. Pulverem leporis combusti plurimi quidam faciunt; ab aliis commendatur theriaca: pro secreto nonnulli habent Gelatinam cornu cervi, quæ mira præstare dicitur in Dysenteria, à quacunque causa oborta: modus autem parandi paucis hætenus innotuit: Quercetano laudatur decoct. & pomum pro Dysent. pharmac. dogm. rest. pag. 153.*

**LXV.** Clysterum usum proficuum esse, antea diximus; hi maximo cum ægrotantis commodo in consolidatione adhibentur, parati ex torment, fol. verbasc. plantag. centumno-  
dij, symphit. sanic. summitat. rubi, gall. cort. granat. quibus pauxillum croci Martis addendum.

**LXVI.** Exterius autem juvant cataplasmata ex dictis astringentibus & consolidantibus concinnata: item linimenta ex ol. rosac. mastichin. cyton. quibus mastichis & nucis moschat. pulvis inspergatur: Mesues lumbos quotidie oleo rosac. inungendos præcipit.

**LXVII.** Epidemiæ & malignæ eadem est curandi ratio, nisi

quod ad alexipharmaca & Bezoartica statim confugiendum; qualia sunt theriaca, unicornu, bezoar, magisterium coralloꝝ rum, margaritar, &c.

**LXVIII.** E chymicorum autem thecis, nobilissima & efficacissima ad morbum hunc propellendum depromuntur remedia, intus quam exterius tutissimè usurpanda. *Intus:* Crocus Martis ritè præparatus, non initio quidem, sed cum astrictione opus, commode dari potest: multum prodest, essentia & tinctura smaragdi, ejus guttulæ 6. vel plures in aquis plantag. & tormentil. exhibitæ, omnem fluxum ventris specificâ quadam proprietate digestionem & separationem adjuvando, sistunt, stomachumq; valdè confortant: præstantius est sulphur auri, quod à proprietate suâ fixa sulphuri Microcosmico dissoluto maximè confert: Essentia Rubini præsens etiam est remedium; quemadmodum & syrupus de coralliis, quem non vulgari modo, sed singulari artificio præparatum magnis laudibus evehit Quercetanus.

**LXIX.** *Exterius:* commendatur Emplastrum de Theriaca Crollij: nobilius tamen paratur ex Extractis herbarum vulneribus dicatarum, ut fanicul. pyrol. Aristoloch. &c. additâ nucem moschata & bolo Armenâ.

**LXX.** *Symptomatum* tandem habenda est ratio, inter quæ est fluxus, quem compescunt, quorum in antecedentibus extat catalogus.

**LXXI.** 2. *Dolores* autem si nimium urgeant & vires prosterant, vigiliæsq; inducant, sopiendi sunt illis, quæ causam morbificam auferunt, humores corrigunt, vel parti dolenti stuporem inducunt; de prioribus antea dictum; posterius efficiunt clysteres ex lacte chalybeato, vel floribus chamomel. verbasco. melilot. sem. lin. foenug. parati: pulvis autem lumbricorum terrestrium adjectus, feliciorum faciet operationem: Hunc scopum.



scopum etiam mirificè complet. ol. amygdal. dulc. cum sach. in  
forma electuarii datum, ut de eo singulis momentis æger pa-  
rum accipiat: si verò aliquid olei recentis ex vitellis ovorum,  
instillaveris, præstantissimum habebis medicamentum, non  
solū ad dolores sedandos, verum etiam ad excoriationem & ul-  
cer intestinorum curanda. Laudanum opiatum doloribus &  
vigiliis abigendis, divinum quasi extat auxilium.

LXXII. Quod ad 3. febrim attinet, occurritur illi partim vitæ  
regimine, partim medicamentis: quamobrem pro virili, cor  
partesque omnes nobiles coroborandæ, & à vaporibus mali-  
gnis, tam Julapiis, quam Epithematibus, aliisque hujusmodi  
remediis defendendæ atque muniendæ.

---

*Plura addi poterant, sed ne justo simus longiores, hic acqui-  
escemus. plenior qui sitit explicationem, eos adeat, qui  
in hac materiâ et sunt uberrimi, & omnium  
manibus teruntur.*



Corollaria

# COROLLARIA.

I.

*An per os adsumpta tantum nutriant?*

II.

*An conducant Dysentericis ova durata & aceto cocta, quae vulgariter hoc in casu aegris solent offerri?*

III.

*An verum sit Avicenna illud; solvere ventrem super ventris solutionem, timorosum?*

IV.

*An recte Mercurialis pinguedinem tertiam partem faciat Intestinorum?*

V.

*An dolor in Dysent. intestina distinguat?*





